

II.  
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 95.

---

Elysium-Meum, Die Veneris 4. Jan. 1810 (Neov. 18, Dec. 1810.)

---

*M a r i t u s :*

Me tamen esse caput, nulla credo arte negabis?

*U x o r :*

Ast ego sum collum, sine quo se id vertere nescis.

*S e n t e n t i a .*

*Ex Philosophicis Elysii Odaeis.*

**V**itio mulieribus continuo dant mare, eas simulandi artem callere, eas doli passim arguunt, atque incessanter iis necessitatem simulatione in eos utendi imponunt.

Mas arcanum peregrinum diligentius custodit, suo, Mulier suum majore cum solertia reticere novit peregrino. In argumento amoris foeminae ulterius, quam nos progrediuntur. In articulo amicitiae nos foeminis praestamus.

Mulieres in regula fideliores sunt viris; hi contra constantiores mulieribus. Mulier amore fertur, fidelitate permanente, vir ipsi, cui amorem exhibet, infidus redditur, quin affectum exuat; Mulier magis imperat sensibus, mas praedominatur cordi.

Garruli rariores sunt quam garrulae; verum est, ast tanto periculosiores.

Foemina vanitati dedita digna duntaxat exprobratione, at mas vanitatem praeseferens contentu.

Vir vitia pedetentim et difficulter corrigi, foemina opere facili et perniciousiter — verum emendatio maris, modo vir sit, perdurat et constans est. Contra muliebris emendatio similis febrim, quae per vices variat, recedit, mox revertitur.

Virum serpere dedecet; qui vero mulierem serpere et humilem videt, is serpentem depingendam curet, et indulgeat, si fert animus, affectui.

Simplicitas in familiari consortio, dummodo suos non excedat limites, in foemina eximiae virtutis laus est; in mare contra soliditatis mentis et animi argumentum.

Hypocrisis et falsa mulieris pietas dissidia parit familiarum; malitia vero marium, hypocritarum et pietistarum salutem integrorum Statuum pervertendo est.

Marium amor, ab eo, quo foeminae feruntur, dispar est — illi quidem ebrietatis vim sentiunt verum est, saepeque numero plus ignis injectant, verum teneram sollicitudinem, delicatum curiositatis sensum ignorant, quae in his non interruptam animi participationem elicit, et quae exclusive amori deditum pro objecto habet. Mas sensu beatitudinis, quam sensu percipit, fruitur, mulier ea, quam consequitur. Hoc essenziale discrimen advertitur, quantumvis maximam, in agendi utriusque sexus rationem mutuam, exerat actionem

Alterius oblectatio est, desideriis satis faciendi, alterius contra delectatio desideria excitandi, placere apud illos medium fortunæ adipiscendæ, apud has, ipsa fortuna, desideriumque placendi, quod foeminis sæpe exprobratum numero, nihil præter est, quam abusus hujus cogitandirationis, atque argumentum illud reapse mulieribus proprium esse. Denique præterea exclusivus certo objecto adfixus gustus in viro nil præter prærogativa est, qua pollet, summum ad fruitionem roborandum, quam aliud fortassis objectum debilius largiretur, non tamen annihilaret; apud foeminas vero imus sensus est, qui non solum quodvis in aliud directum desiderium suppressit, verum iis plane fortius natura, et prædominatione elatius eodem temporis articulo aversationem et taedium indit, quo voluptatis fruitio occipere deberet.

In struendis hoc in argumento technis callidissimus mas, honestissimam vix assequitur foeminam.

Nonnulla mulier virum suum vivo corpore ita sepelit, ut de eo nulla amplius fama supersit. Domus universa obsequentissimum Uxoris famulum eum reputat. Ei nullum peculium privatum, vidualitium nullum stipulando addictum est, puerperii molestias non habet sustinendas, caeteris in rebus ille foemina est.

Mulieres, quae in argumento amoris conscientiae expertes audiunt, plerumque conscientia præstantissimis viris valore pares sunt.

Cur, amabo, maribus vitio datur: mulieres scientiis non esse imbutas? — quibus legibus, decretis, Edictisque iis vetitum est, aperire oculos, legere, lectaque retinere mente atque adplicare seu in familiaribus Circulis, seu in scriptis? an non potius eae ad usum et consuetudinem perduxere nihil sibi sciendum esse, seu ob physicam imbecillitatem, aut per mentis, qua pollent, desidiam socordiamque, aut quadam ingenii levitate, quae prohibet, quo minus studio constanti se dedendi toedio adficiantur; aut ob dotes, et ingenii facultates, quas ad labores solum manuales habent, aut ob occupationes, quae domesticam oeconomiam comitantur, aut per naturalem quamdam aversionem erga res molestas et serias, aut curiositatem sciendi, illi prorsus oppositam, quae mentem exsatiat, eique tranquillitatem adfert, aut denique alio prorsus gustu, quam ille est, quo memoria exercetur? — Interim quaecumque demum causae sint, quibus mares inscitiam foeminarum in acceptis ferunt, id dubio omni vacat: iis fortunae loco esse, mulieres, quae tam multifariis eos praestant, et superiores iis sunt, mulieres inquam, hanc praerogativam non possidere.

*N o v i t a t e s.*

*Monachio die 12. Dec.* Ipso hoc tempore Mediolano publicus Nuncius adpulit eo cum laetissimo indicio: Caes. Serenissimam ProReginam masculo feliciter partu levatam esse. —

*Londino 4. Dec.*

*Excerpta ex Novellis aulicis.*

Lordius Liverpool nuncias a Lordio Wellingtonio percepit litteras, ex quibus haec excerpta.

*Cartaxo die 21. Nov.* Nocte inter 14 et 15 hostis statione, quam ex mense tenebat, dum dextrum ejus cornu Sobraliae, laevum Tago se accelinaret, receptum sumebat; dextra ala viam Alenquera Aleventeram prosequebatur, laeva vero viam quae Alenquera Villam novam ducit. Sequenti luce receptum ex Ire-nopoli prosequebatur.

Exercitus combinatus die 15 mane iter ingressus, hostisque motionem sequebatur.

Praecursorium agmen eodem die Alenqueram adpulit, praecursorium Equitatus Anglicani die 16 Azambugam et Alcontram die 17 vero Cartaxo pertigit. Praecursoriae turmae vestigia Cohors Spenceriana et Gen. Leith (5 ped. Cohors militaris) sequebatur.

Die 17 Gen. Dux Fanc, laevae Tagi ripae insistens mihi nunciabat: ab hoste alterum fluvio Zezeres pontem superstructum esse, cum prior aquarum intumescencia abreptus sit, quodque validum agmen ex Ire-nopoli ejus jussu subierit Golegao urbem; quo intellecto, agmen Gen. Hill tormentariis phaelis, a Gen. Admirale Berkeley operationes exercitus adjuvandi gratia expeditis, Valadam, alteri Tagi ripae insitam, expedivi. —

Dum statione excederem, qua hosti moram injeci, qui adgressioni faciendae impar erat, Domin. Tuam ad servitia operamque Colonelli Fletscher et aliorum Officialium geometricae Turmae attentam faciendam habeo, qui suo ingenio, solertiaque munimenta excitare, quibus hosti quaevis, secundae et prosperae cujuscunque adgressionis, spes adempta et elusa est. Imprimis Centurio *Chapuan* laudandus, cujus opera quavis rerum occasione eminuit, et enituit.

*Senarem* (Irenopolis) quo Massena princeps hospitium transtulit, est e firmissimis stationibus Portugalliae. Sunt qui existimant: consilium ei esse Tagum trajiciendi, atque altera ora Ulyssiponem versus proficiscendi.

*Ex Conclavi Admiralitatis 4. Dec.*

Hesterno mane ad Officium Admiralitatis nunciae litterae allatae, a Gen. Duce Bareleyo, qui supremo cum imperio rei maritimae Regiae Majestatis praeest in Tago, quae de 16, 20 et 22. Nov. datae sunt.

Primis earum litterarum Admiralis nunciat: jussu Lordii Vellingtonii Cohortem militarem (Brigadam) 500 remigum, (Matrosas vocant) et totidem navalium militum se erxisse, ad opera, quibus copiae excesserint, occupanda; Imperium in hanc cohortem Centurioni Lawfold navis, cui Inquietus nomen, traditum.

Litteris de 20. Admiralis significat: die 15. se de receptu hostis medio telegraphi na-

vium in superiore magis fluminis parte consistentium, certiorum redditum esse — Latus Gen. D. Hill fulciendi causa, qui progressus est, se mox Locumtenenti Barkley mandata dedisse: cum armata Classicula flumine adverso navigandi, atque Pro-Admiralem Thomam Williams cum omnibus phaselis submisisse, ad copiarum trajectum ex una ripa ad alteram volatilibus pontibus, et aliis necessariis subsidiis faciliorem reddendum.

Litteris de 22. nunciat Admiralis hostem ad Irenopol. firmum pedem fixisse, ibique firmam stationem tenere; eapropter foederatum exercitum uno ab hac urbe lapide vires coadunare. Classiculam et phaselos esse ad Baladam, hosti oppositas, postquam agmen Gen. Hill ad laevam oram traduxissent. Divisio milit. Gen. Tane, qui aequae laevae orae insidet, in Abrantes jam esse perhibetur.

*Parisii* 19. Dec. Nudius tertius sub praesidio Cels. Archi Cancellarii Senatus praeter ordinem congregatus est.

Plures Generales et officiales Depositorii Nancensis, Regi Josepho symbolum subjectionis tradidere, 50 eorum Hispanias jam petiere.

Panni Commercio Levantino destinati, qui signo notabuntur, aut quorum fascies plumbo notandi, non alia evehi conditione poterunt, quam per portum Massiliae, Genuae, Antverpiae, Liburni, atque urbes: Coloniam, Moguntiam, Argentoratum, Vercelli, Bononiam et Cazatime.

*Bajona die 6. Dec.* Officialis ex Castello Branco adpulsus Gen. Ducem Gardanne agmine suo die 16 inter Gvardam et Abrantes, cum Principe Eszling. se conjuncturum, fuisse significat, die 15. ad exercitum veeturus sperabatur. Gen. Drouet die 24. cum suo exercitus agmine 3 dierum itinere a Castello Branco distabat, communicatio ejus cum Principe Eszling. restituta est.

*Marsilia die 28. Nov.* Sanitatis hujas Senatus ad omnes Gall. Imperii portus Enciclicas expedit: quibus rumor: eruptas Carthagena et Mallacae febres jam Barcinone vigere, refutatur.

*Varsovia 3. Dec.* Pro imminentibus Comitibus propediem Conventus pro Electione Deputatorum, et provinciales Congregationes pro electione Deputatorum in cunctis M. Ducatus Districtibus exordium capient, atque Comitiales Mareschalli a Rege, M. Duce nostro denominabuntur.

---